17.
58
34-6-E-7-


# CÆLESTIS OPERIS AC SERMONIS POTESTAS SIVE DE S. IVONE PAVPERVM PATRONO ORATIO

*HABITA*

AD EMINENTISSIMOS S.R.E. CARDINALES

A PETRO ALEXANDRO DVMS
Inſignis Eccleſiæ Collegiatæ Tungrenſis
Canonico & Sem. Rom. Clerico.

Bibl: Soc Coll: Rom: Soc Ju
Soc:
BIBLIOTECA NAZ.



ROMÆ, TYPIS ÆGIDII GHEZZII MDCLXIV.
*Superiorum Permiſſu.*

Digitized by Google

Digitized by Google

# SANCTISSIMO D. N. ALEXANDRO VII. PONT. MAX.

## PETRVS ALEXANDER DVMS. F.

*Purpuratorum in ſenatu, quæ ſemel humaniſsimè fuit excepta, excipi iterum in publicam hanc lucem, Æternitati victura hæc mea poſtulat Oratio; non vt ſe, ſed vt nomen illud tuum* ALEXANDER PONT: MAX. *quò inſcribitur, immortalitati (quà licet) adſcribat. Verùm vt publica, & æterna fiat, quæ te permittente ex me prodijt, ex te cupit vitæ ſibi Perennitatem auſpicari; à tuo namq; publico patrocinio, ſi publicum in primis admirationis excepit fructum Orator; quid ni à Nominis tui fama ſibi Æternitatem Oratio polliceatur? Hanc igitur tibi nuncupo, qui tuo ſemper è patrocinio quicumq; ſim tantūmodo nuncupabor: debeo hoc, quia me tibi totum debeo: hoc cupio, quia tua poſtulat Humanitas: cogor; quia ſpes omnis Honoris, & vitæ in te vno perſuadet: tu verò B.P. quod debeo, accipe quia de tuo tuum eſt; & Chriſtianæ* Reipublicæ *vniuerſæ, diutiſsimè felix, viue & vale.*



Digitized by Google

Digitized by Google

# ORATIO.

IGnea hæc quâ circumuenior auguſtæ ſcena maieſtatis, quam purpuræ ſacræ fulgor accendit, ea de IVONE memoranda animo repreſentat, ex quibus hodierna luce intelligo, cœleſtem in eo fuiſſe ſermonis operiſq; potentiam: Sacris enim de more dum operaretur Iuo delapſa diuinitus flamma ſacrificantem ambiuit, vt igneo cœli præſidio communitus, non imparem Apoſtolorum cætui potentiam in ignea ſibi lingua adeſſe ſentiret, ex qua vt orator ardentiſſimi verbi calore ſcelera purgaret, probitatemq; perficeret, &, vt Iudex, æquitatis opus omne perfectiſſimè compleret, & potentiſſima oris atq; operis vi patrocinaretur. Verùm in hac potentiſſimi viri commendatione ſi quid incultum, ac puerile videri poterit, vnde laus humanitati veſtræ non parua danda ſit; ac dicenti mihi culpa non mediocris adſcribenda, verendum certe non erit, ne illius aures infantium voces, & laudationem reſpuant, quæ ſæpe pupillorum omnium, ac miſerorum precibus patuerunt, neue illum pudeat quod ab alijs laudetur, pro quibus ipſe tam ſæpe ſumma ſermonis atque operis ui, atque authoritate perorauit. quod autem in tanta rerum ab illo geſtarum varietate oris, operiſque

potentia prænitefcat; illud potiſſimum oſtendit in Iudicis munere, a recto namque iuſtitiæ tramite declinaſſe numquam, IVONEM audiuimus, & curas omnes, atq; operam in omnium ſalutem, non ſolum nulla mercede, contuliſſe, verùm etiam ſuas opes in eis, quorum Iudex eſſet iuuandis, fouendiſque conſumpſiſſe vt illius in opere præluceat iuſtitia; qui ne quidquam iniuſtè ageret, id etiam ſpreuit, quod iuſtè poſſet acquirere. Quid enim eſt, labentes miſerorum virorum caſus ſuſtinere, viduarum imbecillitatem confirmare, pupillorum infantiam ſuæ robore virtutis, veluti innocentiæ fulmine in oppugnatores armare, quid demum alieno ære compeditis in carcere miſeris, non oratorijs tantum numeris, ſed numerata de ſuo pecunia, diſſoluere; niſi eximia cùm oris, tum operis potentia patrocinari. Et ne quem veſtrum lateat, quo ſpiritu vis hæc, veluti ignea, fuerit in IVONE euentilata; Orantem illum, vidimus è cœlo Columbam ſuperuolaſſe, ſplendidiſſimam illam Diuinæ potentiæ vmbram; vt intelligant omnes, Diuinum in IVONE ſpiritum, igneæ, operis, ſermoniſque virtuti, columbæ ſuauitatem adieciſſe; adeo vt pauperum ipſe patronus Deus, fidem facere voluerit veritati; quando diuinitas ipſa patrocinantem ſibi huius poteſtatem voluit recognoſcere; & vniuerſorum dominus, nullius indigens, egenus factus, auream oris, & manus in IVONE potentiam, expertus eſt. Charita-

ritatis igne ſuccenſos, incendia verbis excitantes, ignea potentes lingua, dicimus oratores; & quâ potentem oris pietate (teſte Baſilio) IVONEM vidimus? qui non tantum Aremorici Lictoris obduratum gelu fluuium, vltro, natura cedente miraculo, potuit emollire, verùm etiam quod difficilius eſt, Cæleſti calore animatus, an armatus, ea ciuium corda perſtringere, quæ pietati penitus obriguere? & mirabimur tantam in illo fuiſſe ſermonis vim, qui pro Concione finem haud fecit vnquam ante dicendi, quam facerent Auditores vitam in melius, & errores in ſtudia veræ pietatis, Religioniſque commutandi? vt intelligas, eam eſſe Orantis IVONIS vim, quæ doctrina præluceret, & vreret pietate: Lateritiam inuentam vrbem, arte ſimul, & ingenio reddidiſſe marmoream, laus Cæſare digna fuit; ſed Vrbem ſaxeam, marmoream, & ſceleribus omnino rupeam, iucunda cæleſtis linguæ potentia DEO placabilem reddidiſſe; fuit hæc IVONIS prærogatiua. Cæleſtem hanc vim humani generis hoſtis vidit, & inuidit, vt enim vim hanc oris extingueret, vel ignei amoris impetum retardaret, concionaturo de more pergenti, importunam aquarum tempeſtatem; inſidiator obiecit; ſed ſacrato communita ſigno ſanctiſſimi Viri dexterâ, potentiſſimè, deluſus importunus agnouit Tenebrio, aduerſis fluctibus vim non obrui Charitatis: Vnius hanc voculæ efficacitatem Ciues quamplurimi ſuſpexere, dum aliud è pa-

Digitized by Google

è patriæ fluminibus, effractis obicibus, in immenſum impune debacchans, ad Leges, et iura reuocatum; fluctibus vni Ivoni non ſurdis, iam extra littus, & Alueum euagari vltra paſſum non eſt: pontem iam non amplius indignatum Nec mirum profecto hoc eſſet, niſi alia Elementa iura ſeruare coëgiſſet, æquitatis admirabilis, propugnator: Fortuito incendio Pauperis ædes ardebant, ex quo in preangusto lare flamma nō minor, ſpem tenuem, ac fortunam, ipſa cum infelici domo deuorabat. Et iam maior excreuerat, quam vt aquis auxiliaribus, nedum lacrimis egenæ cederet impotentiæ: potentem tamen inuenit ignis Ivonem, a quo miſeri cauſam potentiſſimè ſuſcipiente, alienis iuſſus eſt bonis cedere: Cæleſtis videlicet imperio potentiæ, potentiſſimum ceſſit Elementorum: Vim enim ſenſit mortali maiorem, qui in ſe tam potenter imperaſſet; & ſanè quid ab innocentiâ ſperandum erat, Ivone patrocinante; niſi fore, vt, apud homines cauſam obtineret. Eum videlicet nacta patronum, qui apud Devm potentiſſimus, ipſis etiam perſuadere poterat, Elementis, ab ijſque cauſam expugnare. Verum quid admiranda iſta cōmemoro vt apertius Ivonis vis in operibus agnoſcatur? an non potentem opere prædicarent ſuper ac ſatis Ivonem, qui Illum è Tribunali Iudicem inconcuſſa ſententia, ſeueritatis ardorem, ſuauitate clementiæ, ac pietatis vi, itá temperantem agnouiſſent, vt nec potentium gratiâ, nec di-

uitum

uitum opibus, nec Optimatũ fauore, nec blandientium illecebris, nec captiunculis Sicophãtarum, nec Subſcriptorum contortiunculis, nec centuriatis Rabularum technis, nec forenſium inuidorum inſidijs, capi, trahi, molliri, terreriq; potuerit? imò qui ſuis, nec ipſe lacrimis vinci potuit, quando ſententiam antequam proferret viſus ſemper fuit illacrimaſſe, vt infelicis Rei fortunam, ante ſui victor experiretur, quam victus Iudicem non agat; non enim minime eſt virtutis operator; qui mitis oculis apparet, quando mitis ore eſſe non poteſt, & victimam ſe prius exhibet clementiæ, quam Reum exhibeat Iuſtitiæ: Sed eſto tu meta orationis meæ, quem appello; ò magnes egenorum, Aduocatorum flos, amor & delicię paupertatis, & Innocentiæ, qui totus quantus eras, Deo plenus eras, vt fortius in chriſtianà Republicà æquitatis leges ordinares, ordinatas cõſeruares, conſeruatas exornares. Dic age quoties contra Potentiorum audaciam, erexiſti propugnacula? quoties exulanti, aduerſariorum imperio Iuſtitiæ Aſilum præbuiſti? quoties dum aduerſus pauperes fluctus erigebantur decumani, in gremio portum aperuiſti? quoties dum miſerorum cauſa periclitaretur, tu innocentię fuiſti firmamentum? quam bene ergo tuo in ſinu tutiſſima conquieſcere potuit Iuſtitia: cuius robur, cuius cor, cuius vita ſemper extitiſti: irrumperent, irrumperent hoſtes, inuaderent, vulnerarent, non timebat illa, non trepidabat Ivonis.

Digitized by Google

nus Clypeo, potentiâ videlicet oris illius communita: ſurgit etenim à vulneribus excelſior æquitatis propugnator, & dum excipit vulnera, premit vulnerantes, & ſi premitur opprimentium ſæpiſſimè ruina conſeruatur: Hoc patrono, totum poterat in foro paupertas, quæ interdum hâc ætate non prodit in forum niſi penitus impotens, & ſuo ſolo nomine rea. Sic eſt Aud. quæ oculis olim caruit iuſtitia, Ivonis vi, & virtute memorandum hoc habuit, diuites videlicet nō videre, vt pauperes magis aſpiciat: proinde quanto habebatur in pretio Ivonis hæc æquitas, non tamen vt pretio grandi venderetur, quę vi amoris æquiſſimi, non auri potentiâ loquebatur. Eximiæ hæc argumenta Potentiæ ab Ivone propoſita, dum exhibemus, erit profectò cur aliquis communia cum reliquis diuinâ Pietate viris inſignibus, ne propria ſint Ivonis exiſtimet; verum vbiq; forum Eloquentiæ, & dexterę patrocinantis, opportunitatem inueniſſe, vbi pauperem vidiſſet; vbique agnouiſſe liberalitatis exhibendæ argumenta, vbi gemitus audiuiſſet Egenorum: vbiq; Iudicem habuiſſe, qui exoraſſet pro paupere, dum occurreret ei pro paupertate quid orare t, ipſa demum Elementa aurita feciſſe, vt cauſam ageret innocentium, ſi homines ſurdos inueniſſet; hoc vni dandum iudicabunt Ivoni, in quo ſocium habuiſſe neminem exiſtimabunt.

O Iudicum grande decus! ò virum penè cœleſtem, atq; Diuinum, & ſi non vnicum Vrbi RO-

MÆ

MÆ, vniuerſo certè Terrarum Orbi, rarum ac ſingularem! vos vero quotquot in hoc ampliſſimo cætu ſedetis, æquiſſimorum Iudicum pars integerrima, pars potentiſſima Patronorum, dum IVONEM honore celebratis, veneratione colitis, obſequijs vincire ſtudetis; è Patronis, atque Iudicibus Clientes euaditis; operiſque vim, & ſermonis hanc maximam, ab IVONE ſuſcipitis, vt huius viribus, ac virtutibus inſtructi, opere, & ſermone potentiſſimi, Chriſtianæ Reip. Iudices, iure iudicemini, hoc eſt cœli robur & terrarum.

Digitized by Google

NAZ.
ROMA
EMANUELE

Digitized by Google